FIDES MOSIS AMYRALDI;

CIRCA ERRORES ARMINIANORUM DECLARATIO.

SALMURII,
Ex Typographiâ IOH. LESNERII,
Ad Insigne Libri Aurei.

M. DC. XLVI.





FIDEI MOSIS AMYRALDI, CIRCA ERRORES ARMINIANORVM, DECLARATIO.

QVIA nonnulla de MOSE AMYRALDO circa errores Arminianorum jactata sunt, à quibus vehementissimè semper abhorruit, eo autem est loco à Deo constitutus vt benè an secus de Gratia ipsius sentiat, cōmunis ædificationis intersit ne quemquam bonorum lateat, fidem suam eatenus breuiter hic declarare statuit.

Ea de quibus Orthodoxis & Arminianis inter se controuersia est, ad hæc quinque præcipua capita omnino referuntur. I. Quæ sit corruptio naturæ hominis, &

quo vſque progrediatur. II. Quæ ſit Electio & Reprobatio hominum à Deo inſtituta, & quibus cauſis nitantur. III. Quæ ſit efficacia Gratiæ Dei in Electorum vocatione. IV. Quæ ſit perſeuerantia Fidei, poſtquam ſemel efficacia Gratiæ indulta eſt. V. Quæ denique ſit natura atque amplitudo redemptionis cuius Chriſtus auctor eſt, atque adeò gratiæ ex ea redemptione manantis, & hominibus per prædicationem oblatæ.

Ad primum caput quod attinet, Arminiani fatentur quidem hominem naſci peccatorem; at negant tamen eius liberum arbitrium eſſe penitus extinctum: adeò vt ſi modo præueniatur & iuuetur à Gratia, vires ſuas naturales exerere ad id poſſit, vt Chriſtum Euangelij prædicatione vel quauis alia ratione oblatum per fidem amplectatur.

Orthodoxi arctè tenent, quod attinet ad res ſpirituales & ſupernaturales, quale eſt Euãgelium Chriſti, liberum arbitrium hominis corruptione peccati originalis funditus interijſſe, adeò vt nullæ amplius virium reliquiæ ex eo ſuperſint, quas circa res iſtiuſmodi exeramus. Et ad cognitionem veri Dei, verique cultus quem ei

ex præſcripto quatuor mādatorum prioris Tabulæ, exhibere debemus, quod ſpectat, rem eodem planè modo ſe ſe habere contendunt. Ad ea verò quod attinet quæ ciuilia & moralia dici ſolent, quæque ſex poſterioris Tabulæ mandatis continentur, non negant ſupereſſe naturaliter lucis aliquid & cognitionis in hominis intellectu, atque adeò in voluntate nonnihil procliuitatis ad bonum, quantumuis illud leue ſit & multis modis imperfectum.

Amyraldvs in eâ ſententia eſt vt putet, non modo in rebus ſupernaturalibus, & quæ ad cultum diuinum pertinent, ſed etiam in ciuilibus atque moralibus, corruptionem naturæ hominum tantam eſſe tamque deſperatam, vt ſi Deus eos ſibi permitteret, nemo ſit qui non eò nequitiæ perueniat, vt cum perditiſſimis atque profligatiſſimis comparari poſſit. Vnde ſequitur vt id quidquid eſt quod in homine vel vmbram boni habet duntaxat, profectum ſit ex aliqua diuinæ Prouidentię operatione. Sic in eo argumento fines orthodoxæ doctrinæ aliquanto quàm cæteri vlterius protulit, ſuamque ſententiam argumentis demonſtrauit in

ſcripto aduerſus Milleterium, cui Replicationi titulus eſt, capite de æqualitate corruptionis hominum, & in Caluini defenſione, cap. 13.

In articulo ſecundo Arminiani defendunt, Deum, poſtquàm ex omni æternitate decreuit vnam eandemque gratiam omnibus hominibus offerre, vt in ea vel recipienda, vel reſpuenda vires liberi arbitrij explicarent, & poſtquam præuidit quinam eam admiſſuri eſſent, qui verò repudiaturi, ex ea præuiſione elegiſſe quos illa gratia benè vſuros eſſe proſpexit, reprobaſſe alios. Adeò vt ex eorum opinione Electio fundata ſit in Fidei præuiſione.

Orthodoxi verò ſtatuunt, tametſi Deus decreuerit omnes homines ad fidem indifferenter inuitare, ſecreuiſſe tamen eum in æterno ſuo conſilio certum quendam numerum hominum à reliquis, vt illis gratiam quandam ſingularem indulgeret, per quam inuitationi iſti obſequerentur, & ſic perducerentur ad ſalutem: Cæteros omnes ab eo in diſpenſatione illius gratiæ prætermiſſos eſſe tuentur. Addunt præterea cur Deus ita ageret adductum fuiſſe vno liberrimo

ſuo beneplacito, nullamque in ijs quos elegit rationem aut cauſam fuiſſe cur eligerentur, quæcunque tandem illa eſſe putetur: nullam in ijs quos reprobauit cauſam extitiſſe cur reprobarentur, quæ non pariter exiſteret in alijs. Adeò vt cum Electio tum Reprobatio abſoluta ſit, nec vlla rei cuiuſquam præuiſione nitatur.

AMYRALDVS eandem doctrinam cum cæteris orthodoxis amplectitur, eamque & explicauit, & confirmauit rationibus inuictis ductis præſertim ex cap. 9. Epiſtolæ ad Rom. cap. 13. Defenſionis Caluini.

Circa tertium caput, Arminianorum opinio eſt, Vocationem hominum conſiſtere duntaxat in illuminatione quadam intellectus, quæ voluntatem relinquit in æquilibrio pendentem, vt Chriſtum amplecti & non amplecti pariter queat pro arbitrio. Ita vt neminem Deus vocet ad fidem in Ieſum Chriſtum, qui non adeò reſiſtere poſſit ei vocationi, vt eam reddat inutilem atque fruſtraneam.

Orthodoxi verò docent vim & efficaciam, quàm Deus exerit in electorum ſuorum vocatione, tantam eſſe, & illu-

minationem qua mentes eorum illustrat, & voluntatem mouet, vsque adeò potentem, vt nulla sit tanta resistendi pertinacia quam non peruincat, vt eos captiuos adducat in obsequium Christi.

AMYRALDVS idem in eo cum cæteris orthodoxis sentit, & eam Gratiæ Dei efficacitatem demonstrauit, refutauitque errores aduersarios multis in locis Defensionis Caluini, in postrema earum concionum quas de natura Euangelij habuit, & in Thesibus de Fidei caussis.

Quartum caput Arminiani sic explicant vt dicant, Fidem, quam Gratia Dei in hominibus generat, nusquam esse tantam & tam firmam, quin excidere atque interire possit. Adeò vt nonnulli electi, qui in fide non perseuerant, fiant reprobi, nonnulli reprobi qui in incredulitate non permanent, euadant electi. Sic neminem de sua salute verè certum aut persuasum esse contendunt.

Orthodoxi contra firmiter credunt, fidem, postquam semel electis data est, in ijs firmam manere, & inconcussam, & ad mortem vsque perseuerantem. Nimirum quia Deus, qui illam ipse dedit pro suo beneplacito, eam conseruat, ne-

que permittit, quæcunque deliquia pati possit, vt planè intercidat aut extinguatur. Adeò vt omnis verè fidelis de sua salute certus esse & possit & debeat.

AMYRALDVS eandem doctrinam amplexus est, eamque argumentis necessarijs addixit, cùm varijs locis Defensionis Caluini, cap. 10. & 11. tum duplici disputatione de Perseuerantia Fidei, Thesibus explicata.

Restat quintum caput, in quo tria considerari possunt. 1. Quid de necessitate mortis Christi statuendum sit. 2. Quæ sit eius natura. 3. Quæ efficacia denique, & gratiæ ex ea manantis atque hominibus oblatæ amplitudo.

Ad primum quod attinet, Arminij putant mortem Christi necessariam non fuisse ad salutem hominibus procurandam, & existimant potuisse Deum peccata condonare citra vllam satisfactionem.

Orthodoxi quidem arbitrantur rationem eam seruandi generis humani, omnium fuisse commodissimam, quandoquidem eam Deo vsurpare libuit; at plerique tamen Arminianis haud inuiti concedunt, eam non fuisse absolutè ne-

ceſſariam, neque Dei iuſtitiam eatenus fuiſſe inexorabilem contendunt.

AMYRALDVS credit Dei iuſtitiam adeò eſſe inflexibilem, Majeſtatem legum ipſius adeò ſanctam atque inuiolabilem, vt non potuerit pati peccata citra ſatisfactionem condonari. Qua in re doctrinam orthodoxam munimento circumdedit quò à multis alijs denudatur. Suam autem ea de re ſententiam argumentis comprobauit Theſibus de Neceſſitate ſatisfactionis.

Ad ſecundum Arminiani docent Chriſtum oppetiuiſſe mortem *abſolute* pro omnibus, adeò vt omnes homines per eam actu redempti ſint, & reapſe impetrauerint remiſſionem peccatorum. Vnde ſequitur etiam inter infideles, paruulos qui moriuntur antequam mentis & conſilij vſum vllum adepti ſint, omnes eſſe ſalutis compotes: Adultos verò beneficio redemptionis non excidere, niſi propter incredulitatem per quam ſalutem ipſis actu impetratam ſponte dimittunt è manibus. Hæc enim duo ab illis docentur. Quibus addunt Deum potuiſſe ſi voluiſſet fedus Gratiæ quod ſanguine Chriſti ſancitum eſt, conſtituere in

conditione operum, aut cuiusuis alius quam ipsi deligere visum esset.

Orthodoxi defendunt neminem actu participem esse fructûs illius redemptionis, quin credat. Et quia salutis promissio paruulis facta, ad solos fidelium liberos pertinet, infidelibus procreatos, vtpote naturaliter maledictionis reos, omnes iusto sapientique Dei iudicio permittunt. Addunt præterea conditionem operum federi gratiæ annecti non potuisse, eique vnam fidei conditionem conuenire potuisse.

AMYRALDVS eandem doctrinam amplexatur, eamque sæpe & explicauit publicè, & demonstrauit, tanquam cum Verbo Dei & analogia fidei congruentem.

Ad tertium Armiuiani docent Christi mortem omnibus hominibus impetrauisse vt Deus illis gratiam quandam interiorem communicaret, quæ eò vsque in ijs, nemine excepto, operatur, vt eorum voluntatem in æquilibrio constituat, quò credat aut non credat, conuertatur aut obdurescat, pro insita à natura libertate.

Orthodoxi contra statuunt efficaciam

eam mortis Christi, quæ consistit in communicatione gratiæ Spiritus, se se non exerere nisi in solis electis. Ad alios quod spectat vt cunque externa vocatione vocentur, quia tamen intus non illuminantur, omnino fieri nequit quin increduli atque impœnitentes maneant.

AMYRALDVS eam Orthodoxorum sententiam veram esse & semper credidit, & inuictis argumentis demonstrauit lib. Defensionis Caluini, cap. 14.

Arminiani existimant, quod Deus Euangelium suum hactenus inter tot nationes annuntiari non procurauit, id non aliunde esse profectum quàm ex eo quod earum majores id olim rejecerunt; aut si qua est illius dispensationis alia ratio, ex ipsarum actionibus, non verò ex Dei beneplacito petita est.

Orthodoxi è contrario dicunt tametsi nulla natio prædicatione Euangelij priuetur quin digna sit quæ propter peccata sua eo destituatur, attamen quia quibus populis Euangelium indultum est, ij tanto beneficio non sunt digniores quam alij, discriminis adeò memorabilis causam ex vno Dei beneplacito petendam esse.

AMYRALDVS eandem ſemper doctrinam ſecutus eſt, eamque perſpicuè demonſtrauit cap. 12. Defenſionis Caluini & Concione V. de Natura Euangelij.

Arminiani credunt tametſi Euangelium inter nationes infideles non prædicetur, earum tamen ideo conditionem haud multo deteriorem eſſe quam reliquarum, quia Deus illis ſalutem offert aut æquè aut ſaltem ferè æquè ac ijs quibus Euangelium prædicatur, adeò vt contingere queat vt aliqui ea ratione ſalutem conſequantur.

Orthodoxi contra ſtatuunt præter obſcuritatem reuelationis quæ infinitis prope partibus imperfectior eſt eâ quæ fit per verbum, Verbi ſingularem quandam præſtantiam in eo ſitam eſſe, quod ſolum eſt miniſterium Spiritus, quo idcirco ſolo homines ad ſalutem adducuntur.

AMYRALDVS eandem cum Orthodoxis doctrinam & animo penitus imbibit, & aduerſus Arminianos defendit Concione 3. de Natura Euangelij, & cap 13. Defenſionis Caluini. Supereſt igitur externa vocatio quæ fit per ver-

bum, vnà cum fundamento cui veluti inædificata est.

Vocatio igitur externa quæ sita est in prædicatione verbi, indifferenter fit atque promiscuè eorum omnium respectu quibus Euangelium annuntiatur. Et quia gratiam omnibus ac vniuersis offert, eatenus Gratia communis & vniuersalis vocari potest. Quia Promissio vniuersalis est, *Quicunque credet, saluus erit.* Fundamentum quo nititur est Dei voluntas, qui non modò præcipit seruis suis vt salutem promittant indifferenter omnibus, & cuique sigillatim quantum id fieri potest, sed etiam promissionem eodem loco haberi vult ac si mitteretur ex ipsius ore; iuxta illud, *quasi Deus per nos hortaretur* 2. Cor. 5. Fons autem illius voluntatis est ea φιλανθρωπία, seu amor quo vniuersum genus humanum eo vsque prosecutus est, vt ei redemptorem dare vellet, qui aditum omnibus aperiret ad salutem, modò eum amplecterentur. Itidem iuxta illud Christi, *sic Deus mundum dilexit, vt filium suum dederit, vt quicunque credit in eum non pereat sed habeat vitam æternam.* Et item istud ex liturgia nostra. *Deus vult agnosci seruator*

totius generis humani, in redemptione facta per Iesum Christum.

Huius suæ sententiæ AMYRALDVS & argumenta passim protulit in scriptis suis, & veritatem confirmauit testimonijs Caluini, Bullingeri, Musculi, Pellicani, aliorumque præstantissimiorum virorum, neque eam dubitat euidentibus Scripturæ locis esse subnixam, & publicis fidei Ecclesiarum nostrarum Declarationibus comprehensam.

Id constat ex verbis Liturgiæ nostræ supra citatis. *Insuper tibi preces nostras offerimus, Deus clementissime & Pater summè misericors, pro omnibus in vniuersum hominibus, vt quemadmodum totius humani generis agnosci vis Seruator, per redemptionem à Iesu Christo Filio tuo præstitam, &c.*

Ex Catechismo puerorum Abecedariorum. P. *Seruabiturne mundus vniuersus? R. Neutiquam. P. Quid ita? R. Quia mundi maxima pars salutem SVAM reijcit.*

Ex Synodo Drodracena, Quæ postquam Canonibus suis præfixit, *Mundum vniuersum obnoxium esse maledictioni Dei,* Rom. 3. 19. *Omnes peccasse*

& destitutos esse gloria Dei, Rom. 3. 13. *stipendia peccati esse mortem.* Rom. 6. 23. continuò addit, quasi fundamentum doctrinæ de Prædestinatione sternere vellet, *Verum in hoc manifesta est charitas Dei, quod Filium suum vnigenitum in Mundum misit, vt omnis qui credit in eum, non pereat sed habeat vitam æternam.* 1. *Ioan.* 4. 9. *Ioan.* 3. 16.

Deinde sequenti capite statuit, *Promissionem Euangelij esse vt quisquis credit in Christum crucifixum, non pereat sed habeat vitam æternam. Quæ Promissio omnibus populis & hominibus, ad quos Deus pro suo beneplacito mittit Euangelium, promiscuè & indiscriminatim annuntiari, & proponi debet cum resipiscentiæ & fidei mandato.*

Item capite sequenti declarat, *Quotquot per Euangelium ita vocantur, seriò vocari. Seriò enim & verissimè ostendit Deus verbo suo quid sibi gratum sit: nimirum vt vocati ad se veniant. Seriò etiam omnibus ad se venientibus & credentibus requiem animarum & vitam æternam promittit.*

Denique id constat ex Præfatione quę

Caluinum

Caluinum auctorem habet, quæque Biblijs Gallicis præfixa iam sæpe iussu atque auctoritate Ecclesiarum nostrarum excusa est. *Tandem vbi adfuit plenum illud tempus ac dies à Domino præordinata, adstitit coram Messias ille tot retro sæculis exoptatissimus : atque idem illa omnia cumulatè præstitit quæ erant ad omnium redemptionem necessaria. Neque verò intra vnum Israelem tantum illud beneficium stetit, cùm potius ad vniuersum humanum genus vsque porrigendum esset: quia per vnum Christum vniuersum humanum genus reconciliandum erat Deo, qui his Noui federis tabulis continetur, & amplissimè demonstratur.* Item : *Ad istam hæreditatem vocamur omnes, sine personarum acceptione, masculi, fœminæ, summi, infimi, heri, serui, magistri, discipuli, doctores, idiotæ, Iudæi, Græci, Galli, Romani; nemo hinc excluditur, qui modò Christum, qualis offertur à Patre in salutem omnium, admittat, & admissum complectatur.*

FINIS.



Eiusdem Amyraldi, de natura & efficacitate misericordiæ interuentu diuinæ Prouidentiæ patefactæ, sententia.

QVum salus nulla sit citra fidem, fides nulla sine obiecto quod ad credendum inuitet, & facultate quæ obiectum amplectatur, est aliquid pariter breuissimè dicendum de vtraque illa re eorum respectu qui verbi diuini ministerio carent.

Facultas quæ obiecto recipiendo destinata est, quæque mens appellatur, considerari debet vel in se, vel quatenus à Spiritu Dei affecta est.

Et in se quidem corruptam eam esse funditus, & vitijs cum naturalibus tum acquisitis ita præpeditam, vt nullum objectum diuinum extrinsecus oblatum rectè amplecti queat, AMYRALDVS constantissimè docuit, demonstrauitque argumentis Def. Caluini. cap. Sexto. Conc. VI. de Natura Euangelij, &

Thesibus de Fidei causis.

Ad Spiritum Dei quod attinet, non suppeditari eum interuentu Prouidentiæ, eiusque vim se se exerere in vnius Verbi ministerio, vt AMYRALDVS semper credidit, sic euidentissime probauit, Def. cap. XIII. Concione III. de Natura Euangelij, & Replicatione ad Milleterium, cap. de Ministerio Spiritûs.

Sic, ad facultatem quod spectat, ex AMYRALDI sententia sequitur omnino contingere non posse, vt quisquam eorum quibus Euangelium non annunciatur, vel credat, vel ad salutem perueniat.

Objectum ipsum pariter duobus modis spectari potest; nimirum vel vt mixtum est in hominum intellectu atque corruptum ijs rebus quæ ex astu Satanæ & ignorantia ac malitia ingenii humani profectæ sunt; vel vt purum esse deberet atque sincerum & incontaminatum ab illa errorum ac idololatriæ mixtura: vno verbo, quale ab ipso Deo hominibus obiicitur.

Priore illo modo si res spectetur, AMYRALDVS constanter docuit tantam sem-

per fuiſſe, vbi verbi lux non affulſit, perniciosorum errorum caliginem, tantamque idololatriæ lernam, vt ne mens quidem multo minus obtenebrata quàm nobis omnibus naturaliter ineſt, ſecernere ab illis rebus potuerit id quod Deus Prouidentia ſua reuelauit. Vnde fit vt qui verbi miniſterio carent, iis etiam reſpectu objecti extrinſecus ſeſe mentibus offerentis, pereundi neceſſitas ineluctabilis incumbat. Quod non Dei incuria accidit, ſed vitio & culpa hominum, qui vel ipſi obiectum à Deo oblatum non oſcitanter intuentur tantùm, ſed etiam omni genere inanium ingenii ſui figmentorum inuoluunt atque obruunt, vel aliunde Diaboli fraudibus deprauatum, explicare atque euoluere ne quidem vel leuiſſimè conantur. Atque id demonſtrauit Def. Caluini, cap. 12. & 13. & Concione III. de Natura Euangelij.

Poſteriore modo quicquid Deus ea ratione patefecerit, attamen quæ ſunt in Euangelio hiſtorica, vt Chriſtum fuiſſe incarnatum, crucifixum, & ſuſcitatum à mortuis, aſcendiſſe in cælum, & quæ ſimilia ſunt, ex vnâ Dei Proui-

dentia innotescere non possunt. Vnde sequitur ne objectum illud quidem ita cõsideratum, tametsi facultaté rectè constitutam nancisceretur, fidem in Christum distinctã generare posse. Atque id AMYRALDVS docuit Conc. III. de Nat. Euangelij. Restat ergo id quod historicum non est, nimirum Deum esse misericordem, & natura sua propensum ad condonanda peccata, siquis verè resipiscat, & ad ipsum conuertatur. Atque in ea re quæri possunt. I. Num reuera Deus se se misericordem omnibus in operibus Prouidentiæ patefecerit. II. Num ea misericordia pertineat ad remissionem peccatorum & offerendam, &, si quis se se ad eam conuerteret, reapse conferendam. III. Num sit eiusdem naturæ cum ea misericordia quæ in Euangelio patefacta est atque oblata sub conditione pœnitentiæ ac fidei. IV. Num fidem aut cognitionem aliquam salutarem gignere apta nata sit.

Et ad primum quod attinet, Deum se se in operibus Prouidentiæ misericordem ostendisse, AMYRALDVS putauit consentaneum esse cum Confessione Ecclesiarum Gallicanarum, Articul. 1.

& 2. *Credimus & confitemur vnum esse Deum, qui est vna & simplex essentia spiritualis, æterna, inuisibilis, immutabilis, infinita, incomprehensa, ineffabilis, omnipotens, summè sapiens, optima, summè iusta, & summè misericors. Hic Deus se se talem hominib⁹ manifestat, primū in operib⁹ suis, tam per creationē quàm per conseruationem & administrationē eorū. Deinde clariùs in verbo suo. &c.* Item cum ea doctrina quā profitētur in Præfatione ad Biblia Gallica. Ibi enim postquàm mundi creationē & hominis lapsum explicârunt, sic loquuntur. *Enimuero neq; in eo etiam vnde primùm cœperat, stetit hominum prauitas, quinpotius Ætas parentum peior auis tulit se nequiores, mox daturos progeniē vitiosiorem. Quid igitur? Nempe cùm fœcūda illa culpæ sæcula extremā aduersum se manum Dei prouocassent, Deus ipse non tam in misericordiam & paternā indulgentiam propensus, quàm ipsamet misericordia atque indulgentia, cum amore non prosequi nollet, quod amari in se se adeò esset indignum, humanū genus tamen interire prorsus, & meritissimo exitio absorberi non sustinuit: resipiscendi tempus & rationem, si forte ad se se aliquo modo redirent, prorogauit ; &*

quamuis apertè quidem indignationem, quasi oculis conniuentibus dissimularet, sibique ita ipsos permitteret, vt nulla vox eius, nulla lex ac directio expressa extaret, quæ argueret peccati, numquam se tamen apud eos Dominum celauit, quin illa exhiberet, quæ officij commonefacerent, & ad ipsum quærendum ac tantumnon palpandum veluti manu ducerent: vt vel pro illius modi cognitione, ab ipsis agnosci etiam, & agnitum legtimo honore coli oportuerit. Denique cum sententia Caluini Comm. in Ep. ad Rom. cap. 1. 19. Non vt Deum glorificauerunt. *Concipi Deus non potest sine sua æternitate, potentia, sapientia, bonitate, veritate, iustitia, misericordia. Æternitas ex eo liquet quod auctor est omnium. Potentia, quod omnia habet in sua manu, facitque vt in se consistant. Sapientia ex ordinatissima dispositione. Bonitas quia nihil causa erat cur conderet omnia, neque alia ratione moneri potest vt conseruet quam ob illam ipsam. Iustitia in administratione; quia sontes punit, innocentes vindicat. Misericordia, quod tanta patientia tolerat hominum peruersitatem.*

Secundum per se patere videtur. Nulla enim certè potest esse misericordiæ

Dei erga creaturam corruptam atq; peccatricem declaratio, quæ resipiscentibus veniam peccatorum nono fferat. Idcirco id affirmauit AMYRALDVS, & consentaneum esse putauit cum doctrina Caluini, Comm. in Ezechielem, cap. 18. v. 23. An cupio mortem impij &c. *Confirmat eandem sententiam alijs verbis, Deum scilicet nihil magis cupere, quàm vt quicunque peribant, & ruebant in mortem, redeant in viam salutis. Et hac etiam de causa non modò hodie Euangelium promulgatur in mundo, sed omnibus sæculis voluit Deus testatum esse quàm propensus sit ad misericordiam. Nam Profani quamuis lege & prophetis carerent, tamen semper gustu aliquo huius doctrinæ fuerunt præditi. Verum quidem est suffocatam fuisse multis erroribus; sed reperiemus semper arcano impulsu fuisse adductos ad petendam veniam, quia hic sensus quodammodo ingenitus illis erat, Deum esse omnibus qui ipsum quærunt placabilem. Cæterum, clarius id Deus in lege & Prophetis testatus est. In Euangelio autem scimus quàm familiariter nos compellet, vbi promittit nobis veniam.* Neque verò aliter Ethnici de Dei natura existimarunt.

Tertium per ſe itidem manifeſtum eſt. Non enim eſt in Deo duplex miſericordia ad remiſſionẽ peccatorum pertinens, quarum altera nitatur decreto ſacrificij Chriſti, vel futuri, vel iam præſtiti; altera nihil commune cum eo habeat, & oſtendi atque reuelari poſſit citra vllum reſpectum ad ſatisfactionẽ. Quocirca AMYRALDVS id affirmare non dubitauit poſt Caluinum Comm. ſuprà citato, vbi eandem miſericordiam quæ in Euangelio & Lege ac Prophetis patefacta eſt, profanis lege ac Prophetis carentibus arcano ſenſu cognitam fuiſſe dixit. Id ipſum docuerunt Bucerus in Præfatione ad Enarrationes in Epiſtolam ad Romanos, Bullingerus in Comment. ad eandem Epiſt. cap. 1. v. 19. Camero in Prælectionibus de Eccleſia atque alibi, Clariſſ. verò Dallæus id in confeſſo eſſe apud omnes Euangelicos teſtatus eſt, ſcripto aduerſus Milleterium, quod in Synodo Alençonienſi viſum & laudatum fuit. Sic enim loquitur Parte II. pag. 108. *Neque de eo quiſquam apud nos ambigit, quod eſt inter omnes Chriſtianos in confeſſo, præſtitam à Chriſto in cruce ſatisfactionem tanti eſſe valoris & precij vt expiandis om-*

nium hominum peccatis abunde sufficiat. Neque verò ab vllo nostrum negatur Christi sponsione, futurique olim sacrificij contemplatione factum esse, vt Deus orbem terrarum, hominumque in eo genus, quod alioquin illico delendum fuerat, conseruari post admissum peccatum, eoque quo iam est statu perseuerare passus sit. Vnde hoc (quod omnes quoque pariter confitentur,) euidentissimè consequitur, admirabilem illam quæ omnium vbique gentium oculis exposita patet cœli elementorumque & cæterarum mundi partium naturam, & eam prouidentiam qua hoc Vniuersum regitur, fouetur, testari Dei optimi maximi summam esse non modo potentiam & sapientiam, sed etiam benignitatem, atque, vt sic dicam, placabilitatem; eoque homines ad tanti numinis timorem, amorem, & cultum inuitare, tacita quidem oratione, sed tamen huiusmodi quæ meritò reddat ἀναπολογήτους quicunque eam aspernantur, veritatemque ea ratione reuelatam in iniustitia detinent.

In quarto considerandа sunt nomen, & res. Ad nomen quidem quod attinet, ad rem ipsam accomodandum esse videtur. Fides igitur etsi in notitia posita

eſt, nititur tamen præcipuè teſtimonio. Id verò quidquid eſt quod miſericordia Dei in Prouidentia patefacta gignere apta nata eſt, ſi facultatem rectè cõſtitutam nanciſceretur, teſtimonium propriè dictum non eſt. Idcirco fidem propriè dictam generare non poteſt. Quamuis igitur Caluinus cum Dauide & Paulo conſentiens Comm. in Pſal. 19. & Comment. in Rom. 10. 18. atque alibi, Naturæ & Prouidentiæ documenta *præconium*, & *teſtimonium* & *teſtes* appellet metaphoricè, & cognitionem quæ ex illis documentis naſci oportebat, *fidem* metaphoricè itidem, Præfatione ad Biblia, in editione latina, & in Inſtitutione cap. 2. *Cognitionis* tamen nomen quo Apoſtolus in eo argumento vtitur, & proprium eſt, & magis accommodatum. Atque id AMYRALDVS & agnouit & profeſſus eſt Def. Caluini, cap. 13.

Res ipſa ſi ab vllo (quod nunquam factum eſt) præſtita foret, num potuerit eſſe ſalutaris, dupliciter quæri poteſt. Proximè-ne ſcilicet, atque immediatè, an verò remotè & conſequenter.

Et proximè quidem ſalutarem eſſe

posse, ita vt ad eam nulla clarior notitia, nulla fides propriè dicta accesserit, neque AMYRALDVS affirmauit vsquam, neque verò affirmandum esse putat, præsertim hisce temporibus, quibus Christus terris exhibitus est.

Remotè & consequenter salutarem esse posse non negauit, quia ad pleniorem & vberiorem reuelationem deduceret, si quis esset (quod nusquam est) qui parciore illa reuelatione benè vteretur. Deus enim qui sui notitiam & incogitantibus offert, & respuentibus inculcat, obscuriorem reuelationem amplectentibus, clariorem non denegaret. Atque in eo AMYRALDVS præstantissimos viros sequutus est. Vt Caluinum, Comm. ad 1. Cor. 1. 21. & Comm ad Rom. 1. 19. Item Bucerum & Bullingerum locis supra citatis.

Neque verò id ad Pelagianorum hæresim accedere putandum est. Pelagianum enim est certè quidem statuere, contingere posse vt homo viribus naturæ ea reuelatione benè vtatur. Siquidem id pertinet ad eleuandam hominis corruptionem, quæ summa est. At statuere ex hypothesi, si quis ea benè vte-

retur, futurum esse vt Deus bonum eum vsum non destitueret, pertinet ad eius vnam misericordiam deprædicandam, cuius laus est infinita.

Quia autem œconomia illa Naturæ atque Prouidentiæ, neque spiritum suppeditat, qui facultatem rectè compararet, neque si suppeditaret vsitata atque ordinaria copia, rem tantam præstare posset vt ex mentibus hominum caliginem errorum atque idolatriæ depelleret, neque si eam depelleret, lucem tamen eam subministraret, quæ temporibus ijs conuenit, quibus Christus exhibitus est; & omni tempore Dei verbum necessarium fuit, & nunc verbum Euangelij absolutê necessarium esse AMYRALDVS constanter iudicauit. Cuius sui iudicij causas explicauit & confirmauit. Con. III. de Natura Euangelij, & Defens. Caluini cap. 12. & 13.

FINIS.



De Æqualitate & inæqualitate Gratiæ, Eiusdem Amyraldi sententia.

QVIA alicubi AMYRALDVS dixit Christum esse mortuum ex æquo pro omnibus, illud autem, *ex æquo* multi aliter interpretati sunt quàm ipse intellexit, existimauit haud abs re fore id si paulo latiùs & clariùs explicaret.

Gratia Dei spectari potest vel in ijs rebus quæ ad fidem in hominum animis generandam pertinent; vel in causis ex quibus res illæ profluxerunt; vel denique in effectis quæ res illas consequuntur, si quis earum ope credidit.

Et ad fidem quidem ingenerãdam pertinent objectum externum, in quo Dei misericordia declaratur; & vis interna, quæ mentẽ afficit vt objectum admittat. Ad objectum externum quod attinet, etsi omnibus proponi sententiâ AMYRALDI statuitur, proponitur tamen admodum inæqualiter. Primò enim magna est eo respectu inæqualitas inter eos

quorum oculis Deus opera Prouidentiæ & μακροθυμίας, & χρηστότητος & ἀνοχῆς obijcit duntaxat; & eos quibus se se per verbum suum reuelauit. Illic enim declaratio misericordiæ diuinæ longè imperfectior est & obscurior; hîc verò plenior, & luculentior multo. Vsqueadeò vt si inter se comparentur, quæ per Prouidentiam fit, præ ea quæ fit per verbum pro exigua admodum haberi debere videatur. Quod ab AMYRALDO fusè explicatum est libro de Prædestinatione cap. VII. Conc. II. & III. de Natura Euangelij, & Def. Cal. cap. XII.

Deinde & gratiam illam ij quibus verbum reuelatum est, inæqualiter sortiti sunt. Nam clarius sub Nouo, & obscurius sub Vetere Testamento Dei misericordia manifestata est. Et sub V. Testamento manifestatio illa varia cepit incrementa, prout Prophetæ ad Messiæ tempora propius accesserunt. Sub Nouo fit illa distinctius in Ecclesijs quæ puriores sunt, minus distinctè in ijs quæ sunt impuriores. Quæ res ab AMYRALDO explicata est Conc. 3. & 4. de Euangelio.

Ad vim illam quod spectat quæ mentem intus afficit, tanta est inter homi-

nes, ex AMYRALDI sententiâ, illius respectu inæqualitas, vt Gratiam illam verbum Dei comitari quidem docuerit, quâ de causa verbum vocatur ministerium spiritùs, negauerit verò disertè eam indulgeri per misericordiæ declarationem quæ fit sine verbo. Idque non modò explicuit Conc. de Euangelio III. & Dissertatione de Gratia vniuersali passim, sed etiam rebus & rationibus necessarijs demonstrauit lib. Def. Caluini, cap. XIII.

Neque verò tamen ita per verbi prædicationem distribuitur, quin sit inter homines quibus verbum annuntiatur magna eatenus inæqualitas. Vt enim multi vocati sunt, pauci electi, sic multi verbum audiunt, pauci vim Spiritus experiuntur. Id Argumentis demonstrauit AMYRALDVS Replicat. ad Milleterium cap. IV. & Def. Calu. cap. XIV. & Dissertatione de Gratia particulari. Quinetiam inter electos ipsos est aliquod discrimen eatenus; alijs enim major, alijs verò minor vis Spiritus indulgetur, quamquam omnibus subministratur tanta, vt fidem necessariò ingeneret.

Causæ ex quibus res illæ promanant, vel

vel impetratoriæ sunt, vel impetratorias antecedentes.

Et impetratoria quidem causa posita est in vna morte & resurrectione Christi. Quod quâ ratione factum sit vt mors Christi ista hominibus impetraret, ad rem quam agimus non attinet, & est ab AMYRALDO fusè explicatum Dissertatione de Gratia vniuersali. Ad rem nostram spectat quod effectus inæqualitas arguit proculdubio efficacitatis aliquam inæqualitatem in causa.

Quando igitur vis illa Spiritus quæ Gratia interna & subjectiua potest appellari, per mortem Christi multis hominibus impetrata nulla est, consequens & consentaneum est vt Christus eatenus pro ijs mortuus non sit. Quod immane discrimen eatenus inter eos & electos constituit, atque adeò infinitam Gratiæ inæqualitatē. Eo scilicet respectu Christus pro solis electis mortuus est.

Ad objectum quod attinet quandoquidem non aliunde manat communis illa gratia vocationis externæ quàm ex aliqua efficacitate mortis Christi, necesse est vt eatenus Christus pro omnibus sit mortuus. Verum quia vocatio

illa communis sit per misericordiæ reuelationem magnopere inæqualem, restat vt eo respectu Christus pro omnibus mortuus sit admodum inæqualiter.

Causæ impetratorias antecedentes sunt partim in caritate Christi positæ, parte in Patris affectu constitutæ.

Et ad Patris affectum quod spectat, ille consideratur in duobus momentis. Vnum est φιλανθρωπία, quæ respicit homines quâ homines, quæque concipitur ad modum inclinationis alicuius quâ Deus in omnium hominum salutem propendet, modò credant. Alterum est affectus longè intensior ac vehementior, qui spectat ad nonnullos ex hominibus tantùm, non ampliùs quà homines sunt, sed qua Deus illis benè esse vult præ cæteris hominibus pro liberrimo beneplacito: non vt in eorum salutem propendeat modò credant; sed vt in illis fidem ingeneret, per quam ad salutem certissimè perducantur. Quæ sanè maximam inæqualitatem in illum Patris cælestis affectum inducunt.

Atque id discrimen tanti ab AMYRALDO factum est, vt primùm disertis verbis scripserit φιλανθρωπίαν illam es-

se quidem magnopere memorabilem, si præcisè in se spectetur; iuxta illud, *Sic Deus dilexit mundum* &c. Ioann. 3. 16. At si comparetur cum altero illo affectu, nihil penè esse ad eius magnitudinem collatam, docuit lib. de Prædestin. cap. 9. & 14. atque alibi.

Deinde, vt docuerit pariter vix ac ne vix quidem sapientiæ Dei conuenire potuisse vt filium suum in mundum mitteret, si præter φιλανθρωπίας effectum, ad aliquos eligendos misericordia sua impulsus non fuisset. Quia scilicet Christi satisfactio fuisset omnino irrita, ob inuictam & immedicabilem omnium hominum in corruptione pertinaciam. Id autem neque Dei sapientiam decuit, neque verò fuisset ipsi Christo satis gloriosum. Atque id explicatum est lib. de Prædestinatione cap. 9. Et in specimine. Doctrinæ Caluini.

Ad filij caritatem quod attinet, quia & vnus est cum Patre, & in negotio salutis nostræ Patris consilium secutus est, debuit illa certè ad naturam & mensuram affectus Patris esse exacta. Itaque & communem quandam φιλανθρωπίαν erga omnes homines exhibuit cùm

mortuus est, & singularem quandam atque eximiam misericordiam erga eos quos sciebat à Patre esse electos, & ab eodem sibi in prædestinatione donatos. Priorem illam commemorauit cùm dixit, se se carnem suam *pro vita mundi* esse daturum. Ioan. 6 Posteriorem cùm tam sæpe testatus est se se vitam positurum esse pro ouibus suis quas in manu habet, quæque ipsum loquentem & audiunt & sequuntur: & sic explicuit ipse quàm inæqualiter homines eatenus dilexerit.

Restant effecta rerum illarum, quæ fidem consequuntur, siquis eam præstiterit. Illa autem pertinent vel ad Spiritum sapientiæ & illuminationis, qui fidem iam præstitam auget; vel ad consolationem, quæ ex sensu remissionis nascitur, vel ad sanctificationem, quæ ex vberiore Spiritus tum sapientiæ tum consolationis copia nascitur ac promouetur; vel denique ad spem gloriæ, quæ spiritum illum perpetuò comitatur. De gloria ipsa nihil dicimus. Agitur enim hîc non de gloria quæ futura est in cœlo, sed de Gratia quæ in terris indulgetur.

Ista autem, quæcunque sint, ad quæstionem de æqualitate gratiæ non pertinent. Primùm enim insanus ille esset qui non immensum eatenus inter fideles & incredulos discrimen agnosceret. Illi enim rerum omnium istarum sunt compotes; hi verò prorsus expertes, quia non credidere. Deinde rerum Theologicarum imperitus ille foret, qui, siqua est inter fideles respectu rerum istarum inæqualitas (vt sanè magnam esse experientiâ palàm est) ex eo colligeret velChristum pro iis mortuum esse inæqualiter, vel Deum eorum salutem inæqualiter voluisse. Inæqualitas enim illa atque varietas quam Deus sequitur in dispensatione Spiritus illuminantis, consolantis, sanctificantis, spem denique donantis ex sapientia est, quæ status Ecclesiæ, quandiu degit in terris, rationem habet, prout eius ædificatio postulat. Cùm igitur AMYRALDVS dixit Christum pro omnibus *ex æquo* mortuum esse, spectabatur ab eo tum salutis hominum procuratio, primùm in Dei consilio, deinde in Christi morte; ac denique in ipsa remissione peccatorum & vita æterna

quam Christi mors nobis promeruit.

Et Dei consilij seu voluntatis circa hominum salutem quidem partes duas faciebat. Tametsi enim in Deo res est vna & eadem, à nobis tamen duæ illius veluti partes distinctè concipiuntur. Vna erat ex φιλανθρωπίᾳ, altera ex altera illa misericordia, vt ista supra sunt separatim considerata. Priorem autem illam partem, quia in Dei φιλανθρωπίᾳ constituta est duntaxat, existimabat esse primùm talem vt eius effectus ex fidei conditione penderet, vt scilicet Deus vellet omnium salutem *modò crederent*. Deinde, communem quia spectat ad omnes. Tertiò denique æqualem, quia φιλανθρωπία spectat hominum naturam quà hominum est. Sunt autem omnes ex æquo homines, nec vlla inter eos respectu naturæ inæqualitas esse videtur. Inde factum vt dixerit quidem Deum velle omnium hominum salutem *ex æquo*, at nusquam tamen nisi vbi prior illa pars consilij diuini quæ ad φιλανθρωπίαν pertinet, seorsim considerata fuit; nunquam nisi cum additione illa, *modò credant*; ferè nunquam nisi cum illa interpretatione, *ni credant*,

Deus eorum salutem non vult. Vbi verò de altera consilij parte quæ ad electos pertinet, disputandum fuit, tum inæqualitatem illam AMYRALDVS apertissimè significauit.

Veniamus ad Christi mortem. Diximus Christi charitatem fuisse in eo negotio ad amussim affectus Patris exactam. Itaque & voluit idem quod pater, & eodem modo. Iam verò vt mori voluit, proculdubio mortuus est. Est igitur mors illius duplici ratione consideranda ex AMYRALDI sententia. Primùm quatenus τῇ Dei φιλανθρωπίᾳ respondet, & parti illi charitatis Christi quæ se se Patris philanthropiæ conformat. Deinde quatenus respondet singulari misericordiæ qua Deus electos complexus est, & parti illi charitatis Christi quæ est singulari misericordiæ similis. Priore modo si consideretur, quandoquidem Dei voluntas est & conditionalis, & communis, & æqualis, hoc est æqualiter respicit naturam humanam pro obiecto, mortem Christi & conditione affectam, & communem esse oportet, & pariter objectum suum æqualiter respicere. Posteriore modo si

ſpectetur, vt affectus ille Dei erga electos, & abſolutus eſt atque ab omni conditione ſejunctus, & particularis atque ad paucos limitatus, & talis denique vt eos quidem ex æquo ſpectet, at alios homines nullo modo, ſic etiam Chriſti mortem oportet ſe ſe eodem modo habere. Supereſt ipſa ſalus conſideranda. Illa autem duobus modis ſpectari debet. Nimirum vel vt offertur ſub conditione fidei; vel vt confertur poſtquam conditio præſtita eſt. Conferri autem actu omnibus æqualiter nemo dicit, ne ij quidem qui inſaniunt. At quin offeratur omnibus æqualiter ſub conditione, neſcio an qui ſapiunt negare queant; ſi nempe æqualiter intelligatur non de qualitate reuelationis per quam offertur, ſed de ſalute ipſa. Nam non alijs major alijs verò minor ſalus proponitur ad amplectendum. Vt eſt vnus Dominus atque redemptor, vnum baptiſma, vnus Deus, vna ſpes vocationis noſtræ, vna fides, ſi illa ab vnoquoque præſtaretur, omnino eſſet vna ſalus omnibus. Atque eæ cauſæ fuerunt cur Apoſtolus dixerit *iuſtitiam veniſſe in omnes & ſuper omnes credentes, nullo diſcrimine.* Quæ

que Caluinum impulerunt vt diceret Christum *esse indifferenter mortuum pro omnibus*, & *peræque omnib⁹ proponi*. Quæ denique Cameronem adduxerunt vt statueret *Christi mortem sub fidei conditione ex æquo ad omnes omnino homines pertinere*. Quamuis certum est ideo quia non omnes præstant hanc conditionem, Christum pro certo quodam hominum genere, nempe Ecclesia, mortem oppetiuisse.

Haud aliter æqualitatem illam intellexit AMYRALDVS, quàm quomodo supra explicata est. Cæterùm etsi habet locutionis illius auctores idoneos, quia tamen vel calumniæ, vel sinistræ interpretationi obnoxia visa est; constituit ab ea constanter abstinere.

FINIS.



De Phrasi, *Homines possunt credere, si velint.*

QVIA hæc phrasis, *Homines possunt credere, si velint*, quæ in scriptis AMYRALDI nonnunquam occurrit, secus intellecta, nonnemini videtur vel absurda, quasi velle credere esset credere ipsum, vel periculosa, quasi hominum arbitrio libero in rebus ad salutem pertinentibus quidquam tribueret, est hîc etiam paucis verbis explicanda.

Quum fides ex duobus rebus existat, objecto quod ad credendum proponitur, & mentis ad objectum amplectendum operatione atque appulsu, homines dicuntur posse credere si velint vel respectu objecti, vel respectu mentis & facultatis quæ se se ad objectum applicat.

Et objectum quidem duplici ratione proponitur, distinctè scilicet, & confusiùs. Quibus autem offertur τὸ πιστὸν confusiùs, illi sanè distinctè credere

non possunt, etiamsi id vehementissimè velint. Vt enim objectum prius est operatione facultatis, adeò vt nemo videat quin ei offeratur τὸ ὁρατόν, nemo sentiat quin ei prius τὸ αἰσθητόν objiciatur, sic objectum est mensura operationis facultatis, vt neque quisquam vel videre vel sentire queat quidquam amplius aut distinctius quàm fert natura aut claritas rei visibilis aut sensibilis.

Quibus objectum offertur distinctè, illi eatenus possunt distinctè credere si velint. Hoc est, nisi credant, objecti defectum excusare non possunt, quandoquidem illis oblatum fuit. Causa cur non crediderint in eorum facultatibus posita est.

Quum verò id de hominibus dicitur respectu facultatis ipsius, tria potissimum veniunt consideranda.

Ac primum quidem illud est, quod hominum actiones duorum sunt generum. Aliæ enim sunt istiusmodi vt ad earum productionem, præter mentis & voluntatis operationem, requiratur vsus alicuius alius facultatis, vt est videre, audire, loco moueri, & quæ sunt in hominibus similia. Aliæ ita in mente ac-

quę voluntate consistunt, vt nihil planę requirant ad sui productionem præter certam quandam facultatis dispositionem & constitutionem.

In prioris generis actionibus tales locutiones vsurpare non solemus, nisi compertum sit facultates eas quarum interuentu mens & voluntas operantur, rectè & conuenienter se habere. Nam si oculi valent, lux verò extrinsecus obijcitur, nihil prohibet quidem quominus dicamus eum qui ita comparatus est, posse videre si velit. Etenim si velit oculos aperire, & lucem adspicere, quia illi à natura rectè comparati sunt, menti atque voluntati parebunt, & suo fungentur officio. Si verò facultates illæ vitio aliquo laborent, cuius curatio non sit in mentis & voluntatis potestate, vt siquis oculis captus sit, tum nemo dixerit hominem cæcum, exempli causa, posse videre si velit.

At id ad rem nostram non attinet. Statuimus enim obiectum offerri ijs de quibus dicimus posse eos credere si velint. Non offertur autem certè nisi & oculi & aures & siqua sunt alia organa, quorum ope obiecta in mentem insinuen-

tur, rectè & naturæ conuenienter se so haberent in ijs quibus ὃ πιστὸν ad credendum offertur. Quamobrem ad alterum genus actionum ven iendum est.

Illæ igitur sunt istiusmodi vt ex vna mente ac voluntate pendeant, quia nimirum ἐν τῷ intelligere & ἐν τῷ velle ipso consistunt. Quocirca dubitabile non est quin ij quibus τὸ πιστὸν oblatum est, eatenus possint credere si velint, quandoquidem nihil prohibet quominus credant, nisi quod facultates suas ad obiectum conuenienter non applicant.

Alterum illud est, quod facultates hominis, quà homo est, & natora τῦ πιστῦ admittendi capax, sunt mens, cui obiectum offertur sub ratione veri, & appetitus, cui idem objectum offertur sub ratione boni. Et ad mentem quidem propriè pertinet τὸ credere. Credere enim persuaderi est, ijque dicuntur πιστοὶ qui πεπεισμένοι sunt. Persuaderi autem est percipere vim argumentorum quibus aliquid verum esse demonstratur, ijsque assentiri. Quod opus est intelligentiæ.

Appetitus autem in homine duplex

est. Vnus est rationalis, qui dicitur voluntas: Alter est sensitiuus & natura quidem rationis expers in se, sed tamen aptus natus rationi parere. Quamuis autem duo illi appetitus natura distincti sint, solent tamen in rebus moralibus ita conjungere suas operationes, vt minimè discernantur. Ille enim, exempli causa, qui ad vindictam præceps ruit dicitur velle se se vlcisci. Quum tamen appetitus vindictæ propriè pertineat ad τὸ θυμικὸν, *velle* autem de appetitu rationali propriè vsurpetur. Atque huius rei ratio inde petenda est, quod vterque appetitus, vndecunque excitetur ac moueatur, concurrit ad vltionem expetendam: Alter vt πάθος, quod excitatur opinione accepta iniuriç, & hominem rapit ad τὴν ἀντιλύπησιν, qua cupiditas expleatur: alter vt id cui reliquæ facultates, ex quibus actio pendet, natura subditæ sunt, vt est vis se se loco mouendi, aut iactandi brachia, aut si quid est ad eam rem natura vel consuetudine comparatum.

Obiecta igitur quæ menti offeruntur ad credendum, sunt duorum generum. Alia enim sunt istiusmodi, vt vel sint me-

rè theoretica vel ſaltem vt talia conſiderentur: adeò vt eorum contemplatione appetitus haudquaquam moueantur. Atque in eo genere non ſolemus ſic loqui vt dicamus quemquam poſſe obiecta illa admittere ſi velit. Nam ſi, exempli gratia, Geometres diſcipulum inſtituens affirmet *in triangulo rectangulo latus quod angulo recto ſubtenditur, facere quadratum æquale quadratis ex vtroq; altero confectis*, nemo dixerit diſcipulum propoſitionem iſtam intelligere & credere poſſe ſi vellet, ſi propoſitio illa ſpectetur qualis eſt in ſe, hoc eſt, mere theoreticè. Nam ſi diſcipulus eſt excitato ingenio, eam facile animo comprehendet. Sin paulo tardiore mente ſit atque hebetiore, etiamſi maximè cupiat vim & veritatem propoſitionis illius percipere, haud impetrabit tamen, quia caret acumine ad eam rem neceſſario.

Alia obiecta ſunt vel natura ſua practica, vel quæ ſaltem vt practica conſiderantur, quorum contemplatio appetitus mouere apta nata eſt. Atque in eo genere phraſim iſtam vſurpare ſolemus. Nam ſi, exempli cauſa, Philoſophus in explicatione naturæ virtutis temperan-

tiæ verſetur, hortetur que diſcipulos primùm vt eius præſtantiam intelligant atque admirentur, deinde vt eam ament, & amplectantur, & omni ſtudio adhibeant ad cupiditates ſedandas, & ad moderandum vitæ curſum, nemo eſt qui Philoſophiam à limine ſalutauerit, quin dicat poſſe illius diſcipulos iſti hortationi obtemperare poſſe ſi vellent. Nimirum res eſt iſtiuſmodi vt ſi eam animo non comprehendant, ingenij tarditatem, aut objecti difficultatem excuſare nequeant. Vna cupiditas obſtat, quæ menti tenebras offundit, & impedit quominus temperantiæ excellentiam peruideat, quæque iuuenes abripit ad voluptates, ne facultates ſuas ad virtutem amandam appellere velint.

Obiectum autem in Euangelio propoſitum non modò verum eſt, & πιστὸν, hoc eſt, natura ſua credendum; ſed etiam bonum & ἀγαπητὸν. hoc eſt, appetendum atque amabile, ideoque aptum natum ad appetituum impetus concitandos. Quod autem id homines non amplectuntur, neque ingenii tarditatem, neque obiecti difficultatem culpare poſſunt. Intelligunt enim ſatis quid ſit

sit τὸ λεγόμενον ; & τὸ λεγόμενον vsque adeò claris & euidentibus cùm veritatis, tum præstantiæ characteribus insignitum est, vt nisi aliquid aliud impediret, nihil possit esse cum natura mentis humanæ magis consentaneum. Prohibent ergo peruersi hominum appetitus, peruersique habitus, & natura insiti, & peccandi consuetudine inueterati. Qamobrem & eo modo dicuntur homines posse credere si velint : hoc est, nihil impedire quominus credant præter illam peruersam facultatum dispositionem, quæ menti & voluntati & appetitibus insidet.

Tertium denique illud est, quod *posse credere si velis* duobus modis dicitur: sensu nimirum *positiuo*, & *negatiuo*. Et sensu quidem negatiuo id ipsum est qnod supra iam est explicatum. Nempe illi posse credere dicuntur si velint, qui nulla alia re distinentur quominus credant, nisi cuius ipsi causa sunt. Sensu verò positiuo si accipiatur, duo significare potest. Vel enim dicitur respectu naturalis facultatis, quatenus est à natura comparata ad tales aut tales actiones edendas ; vel dicitur respectu futu-

ritionis, si ita loqui fas est, euentûs, non amplius considerati quatenus pendet ex facultate ad eam rem à natura comparata, sed quatenus aliquid intercurrit, quod euentum aut iuuat aut intercipit, atque impedit quominus ex facultate procedat actu, & in lucem edatur. Posterior hæc ratio à nonnullis potentia credendi proxima dicitur: prior, remota.

Et posteriore quidem illo modo de hominibus natura corruptis dici nequit *eos posse credere.* Euenire enim certè non potest vt credant. Non quod facultatem nullam ad eam rem destinatam habeant, sunt enim præditi mente, quæ si per se spectetur, ad eam rem à natura comparata est vt intelligat id quod est νοητὸν, & credat id quod est πιστὸν, & comprehendat id quod est καταληπτὸν. Verùm ad facultatem illam aliquid accessit, corruptio scilicet sita in peruersis habitibus, cuius tanta vis est vt semper impediat quominus facultas se se in objecto apprehendendo exerat, vt euentus cum natura ipsius consentaneus consequatur. Sic neque contingit, neque verò contingere vnquam potest, vt ho-

mines corrupti per ſe credant.

Priore modo nihil prohibet quominus homines *poſſe credere* dicantur. Quando enim facultatem habent, facultas autem eſt δύναμις, abſurdum eſſe videtur eos habere δύναμιν, & tamen nihil δύνασθαι Vtique δύναμις non alia de cauſa dicitur, niſi quod vel ipſa δύναται aliquid, vel per eam ſubiectum in quo eſt cenſetur aliquid δύνασθαι.

Illa igitur quid naturâ poteſt? Nimirum mentis duplex eſt actus. Vnus qui conſiſtit in ſimplici apprehenſione obiecti intelligibilis, citra aſſenſionem. Alter qui præter apprehenſionem obiecti includit aſſenſionem ſeu συγκατάθεσιν. Et ad priorem quod attinet, poſſe illum edi ab hominibus nemo ambigit. Nam & ii ipſi qui Euangelium auerſantur, quid in Euangelio contineatur, ſiquis id illis explicet, intelligunt. Poſterior niſi eſſet in poteſtate vel mẽtis quà mens eſt, vel hominis quà mentem habet, non peccaret homo qui non aſſentitur Euangelio, cùm credere atque aſſentiri iubetur. Vt enim non peccaret ſi non volaret, tametſi volare iuberetur, quia non habet alas; ſic minimè peccaret

dum Euangelium non amplectitur assensu suo, si assentiendi facultatem à natura non haberet.

Posse igitur credere homines peccato corrupti si velint, dicitur duobus modis. Vel enim illud *si velint* dicitur de hominibus quorum mens obtenebrata & occæcata tenebris est, voluntas & omnes appetitus peruersis habitibus præpediti, in sensu, vt loquuntur, composito. Et tum oratio illa absurda foret. Habere enim mentem obtenebratam & omnes appetitus malo addictos & mancipatos, & velle assentiri Euangelio, pugnant. Vel dicitur in sensu diuiso; & tum oratio nullam absurditatem complectitur. Nemo enim negare potest quin si mens & appetitus illo vitio vacarent, homo posset Euangelium amplecti.

Porro quia vitium illud homo è facultatibus suis depellere tenetur, nemo enim non tenetur ex officio non esse malus, & iustè punitur qui id non facit, & id posse aliquo modò facere putatur, quandoquidem iustè punitur ea de causa. Quod enim ab homo agente vel omittitur vel committitur, non aliter

censetur puniri iustè, nisi quia id vel non omittere, vel non committere potuisse putatur.



De Impotentia Physica & Morali: deque iis quæ ἐφ' ἡμῖν esse dicuntur.

ETSI ex antecedentibus intelligi potest quæ sit natura impotentiæ quæ prohibet quominus homines credant, nisi à Deo efficacissimè vocentur, est tamen plenioris explicationis causa aliquid de illa præterea dicendum.

Contingere non posse vt homines per se credant, manifestum est partim experientia, partim è Scriptura Sacra. Cur id nunquam vel contingat vel contingere queat, necesse est causam esse aliquam determinatam.

Causa autem illa est vel in eo quod homines ad eam rem facultatem habent omnino nullam, vel in eo quod etsi facultatem aliquam ad eam rem habent,

est ita affecta tamen vt nunquam ex ea euentus cum ipsius natura consentaneus exoriatur.

Facultatem ad eam rem in homine esse omnino nullam dici non potest quin sapientiæ & iustitiæ Dei labes imponatur aliqua, hominis verò incredulitati iusta & legitima excusatio præbeatur. Nam ad Deum quod attinet, si hominibus imperaret vt volarent, quum alas ijs natura negauerit, imperium non videretur sapienter institutum: neque vero pœna iusta si non obsequentes aliqua ratione puniret. Quod si dicamus facultatem credendi primo homini indultam fuisse, quam sibi & suæ posteritati perdidit, ne sic quidem rectæ rationi satisfactum esse videbitur, si in Adami posteris nulla omnino credendi facultas esse putetur. Nam si Deus omnium futurorum hominum oculos tanquam depositum Adamo commisisset, ille verò propria culpa & sua & reliquorum lumina extinxisset, neque sapienter nos nunc videre iuberemur, neque putaremur iustè puniri, si videre iussi neutiquam pareremus.

Ad hominem verò quod spectat, ne-

que Philoſophus quiſquam eſt, neque, Iuriſconſultus, qui neget ei paratam eſſe excuſationem legitimam non parendi, qui omnino non parere non poteſt ideo quia omni ad parendum facultate priuatus eſt.

Habet ergo homo facultatem aliquam, mentem nempe atque voluntatem, ſed ad quam aliquid acceſſit quod eius operationem impedit atque intercipit.

Impedimentum illud non poteſt in vlla alia re ſitum eſſe præterquàm in certa quadam conſtitutione facultatis. Conſtitutio autem talis nulla eſt niſi quæ vel intelligendi atque ratiocinandi vim aufert ex intellectu, vel ratiocinandi quidem atque intelligendi vim in homine relinquit, at facit tamen vt non benè iudicet de ſcopo ad quem actiones ſuas referre debet, & nequeat, vt loquitur Ariſtoteles, ὀρθοδοξεῖν περὶ τοῦ τέλους.

Prioris generis impedimentum æquipollet omnimodæ priuationi facultatis. Haud enim minus excuſatur vel infans in quo τὸ λογικὸν eſt non ἀτελὲς modò, ſed ex organorum imperfectione præpeditum, vel adultus, qui caſu aliquo factus

est emoræ mentis, vel ſenex qui præ ſenio delirat, ſi mente ſua non vtuntur, quàm ſi prorſus nullam mentem haberent. Ebrius quidem certè non excuſatur. At ipſe menti ſuæ objecit impedimentum illud, ne fungeretur officio. Quamobrem mentis vitium æſtimatur ex illa culpa per quam id in ſe accerſiuit. Putatur enim habuiſſe facultatem per quam ebrietatem euitare poterat. Alij ſui vitij cauſa eſſe non cenſentur. Nemo autem certè dixerit talem eſſe eam facultatum hominis conſtitutionem quæ impedit quominus credat. Plerique enim omnes increduli valent ingenio, nonnulli etiam ſingulari quodam acumine pollere videntur.

Conſtitutio ergo illa ad id referri debet quod Philoſophus μοχθηρίαν appellat, & quod dicit διαστρέφειν τὸν νοῦν, ne bonum atque legitimum finem conſtituat, ad quem omnes ipſius actiones & ratiocinationes deſtinentur. Affectio enim illa certè facultatis neque prohibet quominus Deus ſapienter hominibus τὸ credere imperet: nam & legiſlatores tam malis quàm bonis ſapienter leges dare putantur. Neque impedit

quominus iuſtè puniantur increduli: nam & omnium hominum peſſimi à magiſtratibus iuſtè puniri cenſentur, etiamſi ſint vitio omnino mancipati. Neque vllam incredulis excuſationem præbet: nam quanto ἡ μοχθηρία major eſt, tanto minus excuſationis in ſe habet.

Porrò conſtitutio illa in homine primùm eſt à natura, ex peccato originali: deinde inoleſcit atque corroboratur conſuetudine peccandi : denique ita omnes naturæ partes occupat vt neque mens, neque voluntas, neque vllus appetitus ſuperſit qui non eo vitio penitus inficiatur. Vnde fit vt ab ortu ad finem vitæ impotentia illa credendi in homine ſit inuicta, niſi Dei Spiritûs vis & efficacitas intercedat.

Eſt ergo impotentia illa *naturalis*, quia nobis ineſt ab ortu, & vniuerſam naturam imbuit atque præpedit: *eſt moralis* tamen, quia ſita eſt in ijs rebus quæ facultates morales afficiunt quatenus ſunt morales. Eſt, inquam, ἠθικὴ, quatenus eſt ψεκτόν; eſt verò φυσικὴ quatenus eſt ab ipſo ortu ἔμφυτος, & hominis φύσιν vniuerſam infecit. Attamen quia cùm bonum phyſicum & bonum

morale opponuntur, bonum physicum id esse intelligitur quod neque ψεκτὸν est neque ἐπαινετὸν, quoniam situm est in ijs quæ non sunt ἐκ τῶν ἐφ' ἡμῖν, bonum verò morale, id quod ἐπαινετὸν est, quia consistit ἐν τοῖς ἐφ' ἡμῖν, magis consentaneum esse videtur si *moralis* appelletur impotentia, quàm si *physica*: quia ad laudem sapientiæ & iustitiæ Dei pertinet, & necessarium est, vt omnis homini excusatio eripiatur, eam statui esse ψεκτὸν & quod sit ἐν τοῖς ἐφ' ἡμῖν constitutum.

Ἐφ' ἡμῖν autem illa esse dicuntur à veris Philosophis, quæ in nostra potestate sunt. Porro quæ sunt in nostra potestate duorum sunt generum. Alia enim consistunt in actibus illis facultatum nostrarum qui imperati à voluntate dicuntur, alia verò sita sunt in actibus qui dicuntur in Scholis è facultatibus eliciti.

Et ad actus imperatos quod attinet, illi ἐφ' ἡμῖν seu in nostra potestate esse dicuntur, quum facultates quæ sunt voluntati subditæ atque subordinatæ, benè comparatæ sunt, vt est, exempli gratia, locomotiua. Tum enim motus & exercitatio corporis ἐκ τῶν ἐφ' ἡμῖν esse

putatur. Adeò vt Ariſtoteles inter ψεκτὰ memoret τὴν αἰσχρότητα τοῦ σώματος quæ non διὰ φύσιν quidem, ſed δι᾽ ἀγυμνασίαν & δι᾽ ἀμέλειαν exiſtit. Nempe oris & reliqui corporis noſtri conformatio in vtero ex noſtra voluntate non pependit. At poſtquam adulti ſum⁹, nos exercere, & corporis valetudinem eo modo curare, niſi morbo præpediti fuimus, fuit ἐκ τῶν ἐφ᾽ ἡμῖν.

Contra ἐφ᾽ ἡμῖν eſſe negantur actus illi qui vel omnino non pendent ex facultatibus voluntati ſubordinatis, vel ita ex ijs pendent vt facultates ipſæ præpeditæ ſint impedimento aliquo, cuius ipſi cauſa non ſimus. Sic corporis nigrorem deponere in Æthiope non eſt ex earum rerum genere quæ dicuntur eſſe ἐφ᾽ ἡμῖν, quia nulla facultas eſt in Æthiope voluntati ſubdita ex qua vllus actus proficiſci poſſit cuius vi id detur effectum. Sic item ambulare non eſt ἐκ τῶν ἐφ᾽ ἡμῖν in eo cui crura caſu aliquo confracta ſunt; quia tametſi facultatem ambulandi habet à natura voluntati ſubditam, eſt illa tamen ita læſa vt donec reſtituatur voluntati iubenti obtemperare non poſſit.

Ad actus elicitos quod spectat, illi consistunt in ipsis mentis ac voluntatis motionibus, intellectione, scilicet, atque volitione, vt loquuntur in Scholis. Dicuntur autem esse ἐφ' ἡμῖν & in nostra potestate duobus modis. Nimirum vel quatenus sunt naturales, vel quatenus suut morales.

Et quatenus sunt naturales quidem sunt ἐκ τῶν ἐφ' ἡμῖν, quum nihil est vel in organorum constitutione naturali, vel in temperamento corporis, vel in alijs eiusmodi rebus quod facultatum illarum operationes interuertat. Ille enim certè qui vel febri vel humore melancholico in furorem incidit, dicitur exisse è sui potestate. Qui verò naturâ mente captus est ob infelicem organorum constitutionem, ille nunquam in sui potestate fuit. Quamobrem actus illi eliciti non sunt in talium potestate, neque ἐφ' ἀυτοῖς. Contra verò ἐφ' ἡμῖν, esse dicuntur istæ facultatum nostrarum operationes, cum ab omnibus illis partibus ex quibus mentis & voluntatis functiones naturaliter pendent, rectè & naturæ conuenienter constituti sumus.

Quatenus sunt morales, hoc est, bo-

quatenus contingere, ... tur è facultatibus nostris & ... nobis edantur; vel quatenus, si minus contingere id possit, impedimentum positum est in ipsis facultatibus quatenus sunt morales tantùm, non in vlla alia re quæ facultatum imperio vel subsit vel non subsit.

Et priore quidem modo dici non potest τὸ credere esse ἐκ τῶν ἐφ' ἡμῖν, postquàm semel peccato corrupti sumus. Nam contingere certè non potest vt per nos, & nulla accedente virtute Spiritus illuminantis, Euangelio credamus.

Posteriore verò modo τὸ credere est ἐκ τῶν ἐφ' ἡμῖν. Quod enim non contingit, neque verò contingere potest vt credamus, nulli seu causæ, seu impedimento potest imputari, quod non sit in ipsis facultatibus locatum & constitutum. Etenim si τὸ πιστὸν offertur, quandoquidem τὸ πιστεύειν non est actus facultatis quæ voluntati subsit, sed mentis ac voluntatis ipsius, posuimus autem eas res ex quibus mentis ac voluntatis operationes, quatenus sunt naturales,

[illegible] ſtate-
r[illegible] morales, ne τὸ [illegible] ample-
ctantur.

Etſi autem facultates illæ morales, quatenus ſunt morales, ita ſunt affectæ, vt contingere non poſſit vt credant, non ſequitur tamen dici non poſſe τὸ credere eſſe ἐκ τῶν ἐφ' ἡμῖν. Illa enim ἐφ' ἡμῖν eſſe dicuntur, quæ ſi fieri debeant, neque fiant tamen, vna culpari mens noſtra poſſit atque voluntas. Ea verò non ſunt ἐφ' ἡμῖν quæ ſi à nobis non fiant, cùm fieri iubentur, cauſam in aliquam aliam rem à mente & voluntate noſtra diuerſam, verè & meritò reijcere queamus. Τὸ credere autem eſt iſtiuſmodi, vt niſi à nobis præſtetur, nihil quidquam cauſari valeamus præter noſtram mentem ipſam, noſtramque voluntatem.

Atque id manifeſtum exemplo fieri poteſt. Fingamus enim animo Dei iuſſu Æthiopi duo illa præcipi eodem tempore, vt deponat cutis nigrorem, & vt credat in Euangelium, quod illi eadem opera clarè & diſtinctè proponatur. Neutrum ille ſanè vel præſtabit, vel præſtare poterit. Vtriuſque mandati

faciat...
rem non deponat, excusationem ... &
& legitimam & paratam. Nam etsi parere vehementissimè velit, non potest tamen: quia id pendet ex re aliqua ab ipsa voluntate diuersa, & quæ non est in ipsius potestate, neque ἐπ' αὐτῷ. Cur verò non credat, ne ipso quidem iudice, vllam excusationem habebit. Quia si parere voluisset, vtique id potuisset. Id enim non aliunde pependit quàm ex ipsius mente ac voluntate, facultatibus quæ vel maximè sunt ἐπ' αὐτῷ, quandiu organa benè disposita manent.

Neque verò inde petet excusationem quod vtrobique euentus fuit pariter & ex æqua necessitate infallibilis. Quod enim infallibile fuit fore vt nigrorem non deponeret, id inde prouenit quod nullo modo fuit ἐπ' αὐτῷ cutem immutare. At quod infallibile fuit fore vt non crederet, ex alia causa profectum est. Ἐπ' αὐτῷ enim fuit credere nisi malus fuisset; ne malus esset, ἐπ' αὐτῷ eatenus fuit, quod nequam esset, annon, situm fuit in vna eius voluntate. Et quamuis vsqueadeò nequam fuit vt euenire

[illegible] volun-
tate [illegible]mur, ipsi vel maximè ἐφ' ἡμῖν esse existimamur.

Vno verbo ἐφ' ἡμῖν illud esse dicitur ad quod faciendum libertatem habemus. Libertas autem est potestas faciendi quod velis; quæ enim facere possumus si velimus, eorum respectu liberi esse dicimur. Non est autem in Æthiope talis libertas seu potestas ad cutis colorem immutandum. Nam etsi id velit non potest. At est in eodem Æthiope talis libertas seu potestas ad Euangelium amplectendum. Id enim si vellet vtique id posset. Quominus id faciat, prohibet eius vna voluntas. Scilicet in fidei & pietatis negotio quantum volumus tantum possumus, quando quidem fides & pietas in vna voluntate consistunt.

FINIS.